



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

54. An percutiens plures clericos successiue incurrat tot censuras, quot
sunt clerici percussi? Et an ligatus vna censura sit adhuc capax alterius,
non tamen diuersæ rationis, sed eiusdem? Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

deant, non est ita cōmune: multi asserunt; alij vetō negant. Vide Sylvestrum *verb. Eremita. n. 2.* Valde probabile est, eos solos gaudere, qui alicui Religioni per votū obstricti sunt, aut saltem alicui Prælo Ecclesiastico ratione voti, aut muneris, quo alicui Ecclesiæ deputari deservierunt, sunt subiecti.] Ita Coninch.

2. Sed contrariæ sententiæ adhæret Leone *trakt. de censur. recoll. c. 5. n. 32.* [Eremitæ enim, ait, non solum gaudent hoc privilegio, quando vivunt in communi sub aliquo Prælo ecclesiastico ex tacita, vel expressa Pontificis autoritate, de quibus non est difficultas apud Doctores, quibus accedit Bossius de *Indulto, sect. 2. casu 22. n. 60.* sed etiam quando non vivunt in communi, sed seorsim cum Habitu religioso alicui sacro loco servientes sub obedientia Episcopi, vel alterius Prælati.] Hæc Leone, cui adde Squillantem *de privileg. Cler. c. n. 34.* sic aientem:] Censeo, quod Eremitæ, qui Religiosi non sunt, (nam de Eremitis, qui proficere tria vota Religionis, ut sunt Camaldulenses, non est ambiendi locus,) si ex speciali obligatione, & quasi traditione alicui Ecclesiæ, vel loco sacro dicati sunt, cum speciali subiectione ad Episcopum, gaudeant hoc privilegio, cum sint personæ specialiter Deo dicatæ, seu devotæ. Secus verò esset dicendum de Eremitis, qui vagi dicuntur, nec definiti, aut firmum vitæ modum, neque aliquam specialem obligationem ecclesiasticam habent,] Ita ille. Vide etiam Lezanam in *Summa 99. Regular. tom. 2. c. 7. n. 6.*

RESOL. LIII.

An si quis eadem actione, qua fit tota simul, v. g. baculo, percutiat duos Clericos, vel scilicet duos interficiat, incurrat duas excommunicationes?

Idem est dicendum de eo, qui eadem actione duo vasa rapuit diversorum dominorum, si factum erat prohibitum sub censura.

Idem etiam de iudice, qui simul duobus manibus trahit duos homines vi e templo contra Immunitatem: vel eo, qui eodem tempore conversatur cum duobus excommunicatis. Ex part. 5. tract. 9. Ref. 59.

Sup. hoc in
tom. 1. tr. 7.
ref. 2. §. ult.
in princ. & in
ref. 22. §. 1.
ante med.
vers. Quar.
to.

§. 1. Probabile est unicam dumtaxat excommunicationem incurrare, quia illa est simpliciter una transgressio & unicum peccatum, sicut qui uno verbo blasphematur de duodecim Apostolis unicum tantum peccatum committit, & idem dico si eadem actione duo vasa furetur diversorum dominorum. Nec obstat quod ex illa jaculatione plures passiones & plura nocumenta sequantur, cum illa non sint plura peccata, sed plures effectus ejusdem peccati. Ita Cornejo in 3. p. tr. 5. de cens. in gen. disp. 6. dub. ult. §. 4. & Suarez de cens. disp. 5. sect. 3. n. 8. qui tamen contrariam sententiam probabiliorē putant, quia illæ poenæ feruntur ratione in iuræ factæ tali personæ, scilicet Ecclesiasticæ, aut ratione homicidij, ergo cum ibi sint duæ injuriæ, & duo homicidia, simpliciter & absolute loquendo, ratione diversitatis personarum debent multiplicari poenæ, quamvis ex eadem actione culpabili procedant. Et idem existimat Cornejo dicendum, propter eandem rationem, de eo, * qui eadem actione duo vasa rapuit diversorum dominorum, si factum erat prohibitum sub censura; sed circa hoc contrarium sentit Suarez, unde utramque sententiam probabilem esse puto, licet novissime affirmativam doceat Gordonus in *sum. tom. 2. lib. 7. §. 3. c. 1. §. 3. n. 23.* ubi sic ait. Quæres quid si tota actio fiat simul atque omnino unica, & simul tempore terminetur ad plures personas, ut cum quis uno ictu duos occidit, aut in

* Sup. hoc
eiusdem & re-
citantur in
Ref. seq. §. Ad
secundum in
fin.

iudice, qui simul duabus manibus trahit duos homines vi e templo contra immunitatem, vel de eo, qui eodem tempore conversatur cum duobus excommunicatis? putant aliqui hoc delictum esse grave, & tamen unicum esse peccatum; quia cum totum simul fiat, unica transgressio est, præsertim in moralibus. Respondeo tamen probabilius videri hic esse plura peccata, quia simpliciter, v. g. sint plura homicidia, & actus externo malo prohibito, & hoc saltem quod excommunicationem sufficit, ut scilicet in ordine ad eam dicamus esse plura peccata, sive in speculatione Theologica de actibus malis sint plura peccata, sive non in rigore: ponderatur enim hæc externa injuria, & absolutiones pro pluribus excommunicationibus petendæ sunt, atque hoc in praxi securius est. Sed, ut dixi, contraria sententia est probabilis.

RESOL. LIV.

An percussus plures Clericos successive incurrat totas censuras, quot sint Clerici percussi?

Et an ligatus una censura sit adhuc capax alterius, non tamen diversa rationis, sed ejusdem?

Et notatur, quod plures censuræ incurrantur ab eo, qui percussit unum actum habentem plures circumstantias, pro quibus si quis lata est sententia censura, si tamen illa circumstantia mutent speciem actus mortalis, sicut autem si non mutent speciem.

Et queritur, si quis percussit Monachum initiatum prima tonsura, an duas censuras incurrat?

Etiamque notatur, quod ipse censura incurritur, qui sint Superiores prohibentes, quando habent diversam potestatem, secus si eandem. Ex part. 5. tract. 9. Refol. 60.

§. 1. Videtur negativè respondendum, quia comedere in die prohibito carnes, pisces, & ovis, eadē continuata actione ex parte temporis est unica transgressio, & non plures, ut nunc suppono, quamvis subiecta sint diversa; ergo similiter occidere duos homines eadem actione continuata ex parte temporis. Deinde qui continuatis alportationibus per totā noctem plura ab eodem arario furatur, unicam tantum excommunicationem incurrit, si illi furtis sit annexa excommunicatio, & tamen istæ actiones in materia justitiæ inveniuntur; ergo similiter & in nostro casu.

2. Sed his non obstantibus contrariam sententiam docent communiter Doctores, ut Alterius de cens. lib. 3. disp. 10. c. 8. Bonacina de cens. disp. 9. dub. ult. §. 3. & alij communiter, quia istæ percussiones sunt plures formaliter, & numero distinctæ, unitas enim numerica percussionum non tantum desumitur à continuatione temporis & actionis, verum etiam ab objecto, circa quod exercetur actio & percussio; igitur dictæ percussiones, quamvis ex parte temporis sint continuæ, & interruptæ, ex parte verò subiecti & termini ad quem, sunt indistinctæ.

3. Ad primum argumentum responderi Cornejo negando consequentiam: & ratio discriminis est quod actio illa occisiva duorum hominum, cum sit in materia justitiæ respicit ipsos homines, non solum ut subiecta, sed etiam ut terminos diversos, quia justitia & injuria sunt ad alterum, & sic actio illa, quæ alias erat una per continuationem ex parte temporis, est nunc duplex & discreta simpliciter non solum ex diversitate subiectorum, sed etiam terminorum. At verò comestio illa continuata, & quævis alia actio in materia temperantiæ & aliarum virtutum, quæ non sunt ad alterum, sicut justitia, sed ad ipsum operantem, non habet terminos ad quos diversos, sed eundemmet operantem.

operantem, &que ad eod non sunt simpliciter inter-
ruptæ ex sola diversitate subiecti.

4. Ad secundum responderetur esse disparem ratio-
nem, quia dominus earum rerum cui offensa fit, &
ad quem talis iniustitia terminatur, est unus atque
idem, & sic plures asportationes diversarum rerum
continuatæ ex parte temporis non constituunt plura
facta, nec plures transgressiones simpliciter; sicut
illæ duæ actiones, quibus duo homines interficiun-
tur: unde si illæ res furto sublatae essent diversorum
dominorum, essent plura facta, & plures inducerent
cenfuras.

5. Notandum est hic obiter ex dictis. Primò quòd
ligatus una censura est adhuc capax alterius, non
tamen diversæ rationis, sed ejusdem: unde qui se-
mel Clericum percussit, & contraxit excommunica-
tionem, potest nova censura ligari, iterum pecu-
tendo eundem, vel alium Clericum.

6. Secundò plures censuræ incuruntur ab eo, qui
facit unum actum habentem plures circumstantias,
pro quibus singulis lata est sententia censuræ, si ta-
men dictæ circumstantiæ mutant speciem actus mo-
ralis: secus autem, si non mutant speciem, sed sint
ejusdem speciei. Unde percussus Sacerdotem qui si-
mul est Diaconus, & Subdiaconus, non incurrit
plures excommunicationes; circumstantiæ enim
Sacerdotis & Diaconi non mutant speciem in hoc
casu, sed accidentaliter tantum se habent ad transgres-
sionem legis, quæ solum spectavit reverentiam sta-
tus Clericalis, non verò Ordinem, quo aliquis est
initiat. Sicut è contra si quis percuteret Mona-
chum initiatum prima Tonsura, duas incurreret ex-
communicationes, nam illius percussio censetur du-
plex transgressio, una contra reverentiam debitam
statui Clericali, altera contra reverentiam debitam
statui Religioso; nam circumstantia Monachi diversa
est à circumstantia Clerici, cum alia sit consecratio
Clerici, alia Monachi. Ita Suarez de cens. disputat. 5.
sect. 3. num. 15. & Bonacina loco citato num. 8. & Cor-
nejo 9.5. & ult. ubi supra.

7. Tertiò nota quòd tot censuræ incuruntur, quot
sunt Superiores prohibentes, quando habent diversam
potestatem: secus autem si eandem, nam in isto casu,
quamvis ferentes censuras multi sint materialiter, ta-
men formaliter in potestate habentur pro uno, & non
censentur velle ferre plura præcepta formaliter distin-
cta, seu condere novum jus, sed hoc non accidit in
primo casu, ergo. Unde ex his inferitur ligari duplici
censura, qui facit aliquid prohibitum à jure commu-
ni, & à jure particulari, aut prohibitum à Papa, vel
ab Episcopo, modò isti intendunt novam censuram
imponere. Item dicendum pluribus censuris ligari
eum, qui non denunciatur, v. g. blasphemum, si ponamus
sub excommunicatione deferendum ex præcepto
Inquisitoris & Episcopi: secus autem dicendum est
de illo, qui facit contra leges sæpius repetitas & in-
novatas ab eodem Superiore sub excommunicatione,
non enim contrahit nisi unam excommunicationem.
Ita Bonacina loco citato n. 111. & seqq.

RESOL. LV.

In quadam Civitate hujus Regni quidam percussit Cle-
ricum publicè, & notoriè, quæserunt statim à me, an
esset vitandus? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 14.

§. 1. Hic casus erit multum practicabilis, & prima
facie affirmativè aliquis poterit respondere,
quia ex Concilio Constantiensis, ut communiter DD.
docent, tenemur vitare publicum Clericum percussio-
nem, sed in casu proposito ille percussit Clericum
in publica platea coram omni populo. Ergo, &c.
Tom. V.

2. Sed his non obstantibus tunc negativam sen-
tentiam consului; nam ut quis dicatur publicus per-
cussor Clerici, v. illum vitare teneamur, necesse est,
vt talis percussio nulla possit tergiversatione celari, &
nullo juris remedio niti. Cum igitur in hoc casu, &
ferè in omnibus similibus possit percussor Clerici no-
torius dicere, se fuisse ebrum, aut in suam iustam de-
fensionem fecisse, vel ignorasse excommunicationem
percussioni esse annexam, & alia tergiversatione cela-
ri, allegando in judicio rumoris falsitatem, idèd
quandiu non constet per judicis sententiam, illum
juris remedio non posse excusari, nunquam dicitur
notorius Clerici percussor. Et ita hanc sententiam do-
cent Covarruvias in cap. alma mater, part. 1. §. 2. n. 7. &
Fagundez præc. 1. lib. 2. c. 5. n. 12. ubi sic asserit. Vt quis
dicatur publicus percussor Clerici, vt illum vitare te-
neamur, requiritur, quòd nulla tergiversatione celari
possit; Unde licet ea percussio notoria sit, & patens
multis, si tamen non sit notorium iis, qui illam vide-
runt, percussorem nullam habuisse legitimam excusa-
tionem, qua in eo facto à peccato excusaretur, adhuc
non censetur vitandus. Opus est ergo, vt constet per-
cussorem nullam habuisse causam percutiendi, vt evi-
tetur. Nam si potest probabiliter aliquam allegare ve-
ram causam, qua à peccato excusaretur, quandiu non
constiterit non ita esse, non erit vitandus. Hoc autem
constare non potest, nisi per judicis sententiam, vel
per facti notorietatem. Quamobrem rarò continget
percussorem Clerici ita esse notoriam factò, vt non
possit aliquo juris remedio, aut probabilitate aliqua
excusari. Ita Fagund. & ante illum Sayrus de cens. lib. 2.
cap. 12. n. 18. Igitur ex superius adductis censui, con-
sultentes non fuisse adstrictos vitare supradictum pu-
blicum Clericum percussorem, & hæc notentur à Con-
fessariis, quia passim erunt obvia, & à multis scrupulis liberi erunt.

RESOL. LVI.

An qui percussit Clericum publicè, & notoriè, sit statim
vitandus ante judicis sententiam? Ex p. 5. tr. 9. Ref. 61.

§. 1. Casus est frequentissimus, & ad illum negativè
respondet Cælestinus in comp. Theolog. mor.
tr. 3. cap. 9. diff. 3. Nam vt vitetur publicus percussor
Clerici, tanquam excommunicatus, necesse est vt talis
percussio nulla possit tergiversatione celari, & nullo
juris remedio, vel suffragio excusari; cum igitur in
hoc casu, & ferè in omnibus similibus, possit percus-
sor Clerici notorius dicere fuisse se ebrum, aut in
suam defensionem fecisse, vel ignorasse excommuni-
cationem percussioni esse annexam, & alia tergiversa-
tione celare crimen, allegando in judicio rumoris fal-
sitatem, ideo quandiu non constet per judicis sen-
tentiam illum juris remedio non posse excusari, nun-
quam dicitur notorius Clerici percussor, & ideo non
est vitandus ante sententiam judicis, qui cum debet
citare ad allegandum pro se. Ita Covarr. in cap. Alma
mater, part. 1. §. 2. n. 7. & alii. Quamobrem rarò contin-
get percussorem Clerici ita notoriam esse factò, vt
non possit aliquo juris remedio, aut probabilitate
aliqua excusari. Ita Cælestinus, qui citat Fagundez
præc. 1. libro 2. cap. 5. num. 12. quem ego ante illum ci-
tavi in 3. part. tract. 5. resol. 14. Vide etiam Coninch de
Sacram. disputat. 14.

Sup. hoc in
Ref. præte-
rita & in
aliis ejus
not.

Quæ hic est
Ref. antecè-
dens.

RESOL. LVII.

An percussor notorius Clerici, eo ipso statim sit semper
vitandus?

Et quaritur, quot autem testes requirantur, vt factum
dicatur

O